FLORENTINA PROCESSIONUM.

EMinentiſſime, & Reverendiſſime Domine. Tàm in poſſeſſorio, quàm in petitorio fundatam habet intentionem ſuam Reveredifſimum Capitulum Metropolitanæ Florentinæ pro conſequenda præcedentia ſui Vexilli ad illud Eccleſiæ Abbatialis Sanctæ Mariæ Ordinis Caſſinenſis, & tàm in loco, quam in forma, & magnitudine, itaut ſcilicet Vexillum dictæ Eccleſiæ Abbatialis in Proceſſionibus incedere debeat poſt illud Eccleſiæ Metropolitanæ, & debeat eſſe brevioris menſuræ.

Pro Judicio enim poſſeſſorio idem Capitulum exhibet plures teſtes informatos, & de facto proprio deponentes tàm circa locum inceſſus, quàm circa diverſam menſuram dictorum Vexillorum ut ſupra ſervatam, quę poſſeſſio ad hunc effectum Manutentionis ſola ſufficit, & attenditur, ut omiſſis generalibus in his terminis præcedentiæ in Proceſſionibus reſpondit *Rot. in Colonien. pracedentiæ 9. Junii 1627., & 26. Junii 1628. coram Card. Bened. Ubaldo impreſſ. apud Poſtbium de manut. deciſ 32. num. pr., & ſequen., & deciſ. 33. ante num. pr. & num. 6., & 14. Maii 1646. coram Peuting. impreſſ. inter ſuas la 242. num. 2., prima Julii 1695. §. Nec pariter, & 4. Junii 1696., & 22. Martii 1697. utrobique §. Primo coram R. P. D. Muto.*

Parum relevante quod dicti teſtes fuerint extrajudicialiter examinati,

quià adhuc in ſummariiſſimo Manutentionis Judicio fidem merentur *Poſth. de manutent. obſervat.* 38. *per tot. Rot. in Romana manutentionis* 18. *Junii* 1694. *§. Et hinc irrelevans coram R. P. D. Muto, & in Tarraconen. Juriſdictionis ſuper edictis* 28. *Junii* 1700. *§. Rurſus poſt med. coram Illuſtriſs. dell'Olmo.*

Præſertim aliunde adminiculati, & comprobati *Cravet. conſ. 6. num. 66. verſ. alibi ſcribit Poſth. de Manut. obſervat. 39. num. 18. cum numeris praeceden. Rot. apud Cæſar. de Graſſ. deciſ. 3. num. 6. de probat., & coram Buratt. deciſ. 609. num. prim., & coram Cavaler. deciſ 44. num. 3. poſt med. verſ. maximè ſtantibus adminiculis.*

Adminicula autem, & quidem plura, & urgentia in caſu noſtro non deficiunt, & reſultant ex concordi depoſitione aliorum teſtium, qui de viſu, & de longo tempore talis poſſeſſionis teſtantur, cõcordantes cum depoſitione illorum, qui de facto proprio teſtantur, & qui ideo illam comprobant, & confirmant per *text. in cap. ſuper prudentia, ibique gloſ. magna in verb. tractaverunt, 14. quæſt. 2. Cravett. conſ. 198. num. 11. Alex. conſ. 147. num. 2. libr. 6. Rot. coram Seraph. deciſ. 585. num. pr., & apud Poſth. de manut. deciſ. 260. num. 5.*

Animadvertendo præſertim quod inter iſtos teſtes plures adſunt nobilitate, & dignitate inſignes, qui ideo majorem fidem merentur, ut omiſſis generalibus in his terminis etiam de unico teſte probat *Poſth. de manut. dicta obſervat. 39. num. 16. & 17. cum numeris præceden., & Rot. cor. Cavaler. d. deciſ. 44. num. 4. in fin.*

Fortiſſimum pariter adminiculum talis veritatis reſultat ex eventu ſequuto in Proceſſione habita in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ anni præteriti, in qua prætendente Crucifero, ſeu Vexillifero Eccleſiæ Abbatialis incedere ſimul cum illo Eccleſiæ Metropolitanæ, excitatus fuit rumor, & tumultus in populo, qui ſe opponẽdo violentiis dicti Cruciferi, ſeu Vexilliferi Eccleſiæ Abbatialis illum Eccleſiæ Metropolitanæ in ſuo loco defendit. Hinc enim allegare poſſumus concordem depoſitionem, imò evidens Judicium totius populi, qui eo ipſo quod ſe oppoſuit conatibus præfatis expreſsè declaravit illos eſſe injuſtos, novos, & ſcandaloſos, & poſſeſſionẽ Eccleſiæ Metropolitanę faſſus fuit per illius conſervationem, & manutentionem procuratam, quæ per neceſſe dictam poſſeſſionem ſupponit *Rot. coram Mantic. deciſ. 67. num. 2., & in Hiſpalen. præcedentiæ 21. Aprilis 1690. §. Et nihilominus poſt med. coram bo. mem. Emer. Jun. mox impreſſa inter ſuas la 962. ſub num. 7., & in dicta Colonien. Pręcedentię ſuper bono Jure 4. Junii 1696. §. Creſcitque ad med., & 22. Martii 1697. §. Quam etiam coram R. P. D. Muto.*

Hæc ipſa met quaſi poſſeſſio, & conſuetudo ſufficeret, non ſolum in ſummariiſſimo Judicio Manutentionis, ſed etiam in petitorio pro Canonizatione tituli, cujus melior, & pin-

& pinguior in hac materia Proceſſionũ eſt ille reſultans ex cõſuetudine, & obſervantia *Barboſ. de Jur. Eccleſ.lib.pr. cap.43. nu.178. Tamburin.de Jur. Abbat. tom.pr.diſput.25.quaeſt.pr. nu. 199., & quaeſt 2. num. 31. Lezan. conſult.56. num.71. Card. de Luc.de praebemin. diſc. 42. num. 5. Paſſerin. de Stat. homin.tom.2. quaeſt.187 art.4.num.188. cum aliis cumulatis in dicta Colonien. Praecedentiae coram Peuting. deciſ. 242. num. pr., & 4 Junii 1696. §. Quamvis enim, & 22. Martii 1697. §. Si quidem corã R. P. D. Muto.*

Et in his praeciſis terminis deferendi Crucem in dignori loco *Rot. apud Tamburin. de Jur. Abbat. deciſ.pr.num.3. & 4.*

Quinimo ſi ad hunc effectum ſufficit unicus actus, ut bene conſiderat *Rot. in d. mox allegata*, quanto magis ſuffragari debebit in noſtro caſu, in quo habemus longam conſuetudinem, & obſervatam per quadraginta, & ultra annos, per quam etiam quatenus opus eſſet, inducta fuiſſet longiſſima praeſcriptio in his terminis conſiderata per *Card. de Luc. de Praebemin. diſc.22. nu.4. ad med. verſ. ſive ad ſummum.*

Nec bonum Jus dictae Eccleſiae Cathedralis ſiſtit in dicta ſola conſuetudine, & obſervantia, ſed validiſſimum habet fundamentum in diſpoſitione Juris, & quidem tribus titulis innixum, primo ſcilicet in majori, & Excellentiori dignitate Eccleſiae Metropolitanae ſuper omnes alias Eccleſias. *Caſſan. in Catal.mund. part.4. conſiderat.32. §. Sed intellige, & §. Quinto pro hac parte facit, & §. Ex quibus concludo, Tamburin. de Jur. Abbat. tom.pr. diſput. 25. quaeſt.2. num. 14. in fin., & num. ſequen.*

Propter quam ipſi praecedentia debetur, ut omiſſis generalibus in his terminis Proceſſionum probat ultra mox allegatos *Rot.in d. Colonien.praecedentiae ſuper bono Jure prima Julii 1695. §. Majoritas, & 4 Junii 1696 §. Quamvis etenim, & 22. Martii 1697. §. Conſuetudinis coram R. P. D. Muto.*

Secũdus non minùs titulus validus praecedentiae favore dictae Eccleſiae Metropolitanae, ejuſque Vexilli reſultat ex qualitate Cleri Saecularis ſub illo incedentis, qui in concurſu cum Clero Regulari incedente ſub Vexillo Abbatiali ſemper praelationẽ habet per *Text. in cap ſic vive, & cap.ſequen. 16. quaeſt. pr. Joan.Andr. in cap. delictum de Regul. Jur. in 6. Card. de Luc. de Praebem. diſc.24. num.2. diſc.43. num.7. & de Regular. diſc.pr. num.62., & diſc. 19. num.9., & in Miſcellan. Eccleſ. diſc. 40. num.4. Sperell. deciſ. 179. num.4.*

Et tertius denique titulus fundatur in antiquo libr. Caeremoniarum, & ordinis Proceſſionum aſſervato apud Publicum Officialem, ſcilicet Commendatorem Caeremoniarum ſupremi Magiſtratus Florentini, inſtituto ab antiquiſſimo tempore duorum ſaeculorum, & ultrà, in quo deſcripti leguntur Vexilli Eccleſiae Metropolitanae, & Eccleſiae Abbatialis unus poſt alium, quanta autem habenda ſit fides antiquis Caere-

 monia-

monialibus in hac materia tradunt *Lezan. tom. 4. conſul. 56. num. 72., & ſequen., & Rot. in dicta Colonien. Præcedentiæ deciſ. 242. ſub num. 3., & 4. Junii 1646. §. Plures in propoſito, & §. Creſcitque, & §. Ex ipſo, & 22. Martii 1697. §. Siquidem ad med., & §. Quam etiam pariter ad med. coram R. P. D. Muto.*

Attento præſertim quod conſtat de obſervantia talis Cæremonialis per atteſtationẽ Moderni Domini Commendatarii Cæremoniarii, qui teſtatur per viginti annos continuos, quibus tali munere functus fuit, ſemper ſervaſſe ordinem in dicto libr. annotatum, vocando ad inceſſum proceſſionum primo loco Vexillum Metropolitanæ, & poſt ſpatium ſalutationis Angelicæ illud Eccleſiæ Abbatialis; Qui publicus Officialis uti teſtans de re ad ſuum officium ſpectante plenam, & omnimodam fidem meretur *Adden. ad Gregor. deciſ. 214. litt. B. verſ. fides autem facta, Rot. coram Merlin. deciſ. 714 num. 18., & coram Dunoz. Jun deciſ. 334. num. pr., & deciſ. 376. num. 5., & num. 11., & in part. 19. rec. deciſ. 21. num. 11. 13. 15., & 16. deciſ. 98. nu. 26. deciſ. 275. num. 12. deciſ. 369. num. 55., & deciſ. 467. num. 16.*

Quod ſi opponatur quæſtionem non verſari ſuper pręcedentia in genere, quam impugnare non valent Patres Adverſarii, ſed circa modum pręcedendi, vel ſcilicet per inceſſum antecedentem, & ſubſequentem, quem nos prætendimus, vel per inceſſum in eadem linea, & cum ſola præcedentia dexteri, vel ſiniſtri lateris, prout pręt ẽdunt Patres Adverſarii, reſpondeo, quod modus ex adverſo prætenſus, per quem duo Vexilla ſeu Cruces ſimul, & unitim incedunt dari quidem poteſt, quando corpora, & collegia, quæ ſub dictis Vexillis militant, & incedunt ſimul, uniuntur, & incorporantur, prout ſequitur inter Fratres Obſervantes, & Reformatos Sancti Franciſci, qui uti conſtituentes eamdem Regulam in Proceſſionibus incedunt ſub eadem Cruce juxta caſum relatum per *Rotam in dicta Hiſpalen. Præcedentiæ, de quo habentur deciſiones coram Emer Jun, inter ejus impreſſas la 962., & 1014., & coram R. P. D. Caprara ſub die 11. Januarii 1692.*

Vel melius in Proceſſionibus, quæ fiunt in Civitate Coloniæ, in quibus antecedunt ſimul, & unitim cum Cruce Eccleſiæ Metropolitanæ aliæ Cruces Eccleſiarum Collegiatarum, & ſub illis incedunt dignitates Collegiatarum ſimul, & unitim aſſociarę cum Canonicis Metropolitanæ juxta dictas deciſiones editas in *Colonien. Præcedentię apud Poſth. de Manut. deciſ. 32., & 33., & coram Peutinger. deciſ. 242., & coram R. P. D. Muto prima Julii 1695. 4. Julii 1696., & 22. Martii 1697.*

Sed moralitèr impoſſibilis, & omninò incongruus eſt, quando Corpora, & Collegia ſub dictis Vexillis, & Crucibus incedentia ſeparatim, & diſtinctè incedunt, quo caſu ſicut non

contro-

controvertitur præcedentia corporum, & quidem per diſtinctionem antecedentiæ, & ſubſequentiæ, non autem per dexterum, vel ſiniſtrum latus, ita nec etiam controverti poteſt eadem præcedentia inter Vexilla, & Cruces, cum ex unitate, vel diſtinctione corporum, unitas, vel diſtinctio Vexillorum, & Crucium, & ex modo incedendi quoad illa modus incedendi quoad iſta reguletur, ut bene animadvertit *Rot. in d. Hiſpalen. Præcedentię* 21. *Aprilis* 1690. *§ Nec juvat replicare coram bo.me. Emer. Jun. mox impreſſa inter ſuas la* 962. *ſub num.* 10., *&* 11., *& die* 11. *Januarii* 1692. *§. Non obſtat cum ſequen. coram R.P.D. Caprara*, *& melius in dicta Colonien. Præcedentiæ* 4. *Junii* 1696. *§. Nulla in caſu in fin. coram R.P.D. Muto.*

Et in terminis quod dicta prælatio regulata à latu dextero, vel ſiniſtro tantum, ſervetur ſolum, quando agitur de corporibus omninò ſeparatis bene probat *Rot. coram Coccin. deciſ.* 1923. *num.* 4. *juncto num.* 2., *& in mox repetita Colonien. Præcedentiæ* 4. *Junii* 1696. *§. Nulla in caſu ad med.*

Talis unio, & mixtio Cleri Metropolitanæ Eccleſiæ nec de facto ſervatur, dùm utrumque Corpus diſtinctè, & unum poſt aliud procedit, & de Jure impracticabilis, & omninò abſurda eſſet, dum importaret illam confuſionem Cleri Sæcularis, & Regularis, quam ſub antiqua prohibitione contenta in Deuteronomio -- Non arabis in bove, & Aſino -- *Refert text. in cap. in nova* 16. *quæſt.* 7., *& Clement. prim. de Elect. Fagnan. in cap. Quod Dei timorem num.* 18. *ad med per verba præciſa ejuſdem textus in d. cap. In nova ibi* -- Quia homines diſparis conditionis non debent in iiſdem Eccleſiis ſociari -- *de Stat. Monach.*

Cum tamen ad hunc effectum excludendi hanc ſolam præcedentiam latus dexteri ad ſiniſtrum, & importandi præcedentiam per prius, & poſterius ſufficeret obſervantia ſuperjùs probata in facto, & in jure in his terminis approbata per *Rotam in dicta deciſ.* 1923. *num.* 6. *coram Coccin.*

Mirificè autem ad hoc etiam confert dictus antiquus liber Commendatarii Cæremoniarii, in quo deſcribuntur plura corpora Clericorum, Confraternitatum, & Regularium ad tales Proceſſiones accedētia; cum illa notabiliſſima circumſtantia, quod aliquando in eadem linea leguntur ſcripta plura nomina diverſorum Corporum, aliquando autem dicta corpora diverſa leguntur deſcripta in diverſis, & ſucceſſivis lineis, ex qua diverſitate arguitur diverſitas præcedentiæ inter diverſa corpora aſſignata, undè cum in caſu noſtro, & pro Eccleſia Metropolitana, & Abbatiali reperiatur ſervatus primus modus prælationis per duas diſtinctas lineas deſignatus; evidentèr apparet dictus modus prę cedendi per prius, & poſterius.

Et quatenùs ſuper interpretatione dicti libri, & diverſarum deſcriptionum

in

in illo adhibitarum ; aliqua ſuper eſſet difficultas, illa penitùs ſubmovetur ex dicta atteſtatione moderni Domini Commendatarii Cæremoniarii, qui ingenuè refert -- *Hò ſempre coſtumato per lo ſpatio d'anni venti in circa, che hò eſercitato, e di preſente eſercito queſta mia carica, di chiamare prima LO STENDARDO DELLA CHIESA METROPOLITANA : e dopo lo ſpazio d'Ave Maria incirca, hò chiamato LO STENDARDO DELL' ABBAZZIA DI FIRENZE, perche così fui inſtrutto dal mio Anteceſſore Gio : Roſſini, quando ſupplii per il medeſimo nel tempo della ſua contumacia, e perche così l' hò veduto deſcritto con ordine ſucceſſivo nel libretto delle Chiamate, che ſi ritrova appreſſo di me &c.* -- Undè apparet, quod ſucceſſivam vocationem ipſe ſervavit in executionem ſucceſſivę deſcriptionis; Obſervantia autem, & quidem longa, & publicè ſervata à publico officiali multùm confert ad declarationem, & interpetrationem dicti libri, & partitarum inibi deſcriptarum per *text. in l. ſi de interpetratione ff. de legib. Cravett. conſ. 294. num. 8. Rot. deciſ. 287. num. 20. part. 9., & deciſ. 375. num. 14. part. 16., & deciſ. 212. num. 7. part. 17. recent.*

Quibus ſtantibus nil relevant aliqui Hiſtorici ex adverſo allegari ſoliti, ad probandam contrariam conſuetudinem incedendi in eadem linea ambo Vexilla, cum ſola prælatione lateris dexteri, & ſiniſtri ; Tùm quia non omnes hiſtorici faciunt fidem in judicio, ſed illi ſolum, qui communitèr approbati fuerunt, ita ut de plurimis rejectis, & reprobatis patet ex deductis per *Rot. coram Coccin deciſ. 1867. num. 37., & in nullius, ſeu Fulden. Juriſdictionis 28. Junii 1700. §. Quapropter coram R. P. D. de la Tremoille.*

Eò autem facilius reiiciendi videntur illi ex adverſo allegari ſoliti, quo plerique ex ejs ſunt Monachi Congregationis adverſariæ, ad cujus favorem ideò fidem non merentur in hac materia, inqua agitur de magno honore Religionis, ut concordantibus cumulatis benè animadvertit *Farinacc. de teſtib. quæſt. 66. num. 522., & 523.*

Quatenùs autem benigna aliqua interpætatione fides dictorum hiſtoricorum cum fide noſtrorum teſtium, & documentorum conciliari vellet, prout ſuadet *text. in cap. Cum tu 10. de teſtib. Alexan. conſ. 185. num. 4. cum ſequen. Farinacc. de teſtib. quæſt. 65. num. 73. Rot. coram Gregor. deciſ. 758. num. 6. & 7., & coram Emer. Jun. deciſ. 200. num. pr., & deciſ. 240. num. eod.*; Dici poſſet quod illi, ſcilicet hiſtorici præfati loquantur de tempore antiquo, quo forſan ex negligentia, & inobſervantia Cleri Metropolitani, ejuſque miniſtrorum, Monachi adverſarii dictum ęqualem inceſſum ſui Vexilli pręoccuparunt, cumque poſtea talis abuſus conſtitutionibus Apoſtolicis omninò repugnans ſublatus fuerit

per

per aliam diverſam, juſtam, & congruam obſervantiam à longo tempore, & longè antè motam litem inchoatam, quæ ideò ſemper preferri debet tàm in judicio poſſeſſorio, & pro manutentione, quæ ſemper datur ad ſtatum, & modum tempore motæ litis ſervatum, uulgato *S. Retinendæ Inſt. de Interdict. Poſth. de manut. obſerv.* 73. *num.* 9. 43. 50. *& ſequent. Rot. poſt ipſum deciſ.* 44. *nu.* 8. *& deciſ.* 349. *num.* 4., *& in dicta Nullius, ſeu Fulden. Juriſdictionis* 28. *Junii* 1700. *in fin. coram R. P. D. della Tremoille*.

Quàm etiam in petitorio pro controverſia vertente ſuper præcedentia, quæ à ſola conſuetudine ultima regulatur, & in qua noſtra Metropolitana Eccleſia habet certiſſimam, & validiſſimam Juris aſsiſtentiam, juxtà ſuperius deducta; Ita ut ſi in dubio, & in conflictu duarum poſſeſsionum, & conſuetudinum, illa præfertur, quæ ex dicta Juris aſſiſtentià confovetur *Rot. coram Bich. deciſ.* 672. *à num.* 17. 18., *&* 19., *& meliùs coram Emer. Jun. deciſ.* 945. *num.* 3., ubi quod preferri debet alteri licet anteriori.

Quantò magis præferri debet in noſtro caſu, in quo dicta Metropolitana Eccleſia habet certam aſsiſtentiam Juris, nec non habet certam, & ultimam poſſeſsionem per longum tempus continuatam, & ſumus in materia ex hac ſola ultima poſſeſsione determinabili juxtà ſuperiùs deducta. Quare &c.

Philippus Sacripantes Sacræ Conſiſtorialis Aulæ Advocatus.

F I N I S.

L U C Æ; M. DCCIV.

Typis Dominici Ciuffetti. *Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google